



1765/1. 23
DISSERTATIO SOLLEMNIS IVRIDICA

DE

ADMINISTRATORIBVS
A IUVENIBVS SANAE QVIDEM
MENTIS SED VITIO CORPORIS
LABORANTIBVS ELECTIS ATQVE A IVDICE
CONFIRMATIS IVRE CVRATORVM MINORVM
NON AESTIMANDIS

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPE
AC DOMINO

DOMINO FRIDERICO II
HASSIAE LANDGRAVIO REGNANTE, PRINCIPE

HERSELDIAE COMITE CATTIMELIBOCI DECIAE ZIEGENHAINAE
NIDDAE SCHAVMBVIRGI ET HANOVIAE RELIQA

IN VNIVERSITATE LITTERARIA MARBVRGENSI

AUCTORITATE ET CONSENSV

ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS
PRO LICENTIA

SVMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
RITE CONSEQUENDI

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

IOANNES LVTTRINGHAVSEN

CASSELLANVS-HASSVS

DIE 9 MENSIS MAII MDCCCLXV.

MARBVIRGI

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA VNIVERS. ACAD. MÜLLERIANA.

23

DISPUTATIO SOLIENNIS IURIS
 ADMINISTRATIONIBUS
 A HENRICO ANNE GUILDEM
 ET D. VINO CORPUS
 LABORANTIBUS ET OTIOSIS AVIDE
 COMMUNITATIS IURE CANTONUM MINORVM
 NON ASSUMENDI
 MAGNIFICENTIA
 BRACHIO ET POTENTISSIMO PRINCIPIS
 NOBILITATE
DOMINO FRIDERICO II
 MAGNIFICENTIA PRINCIPIS
 MERITIS COMITIS GOTTFRIDUS DE WITTE
 ANNO DOMINI MDCCLXXXII
 IN UNIVERSITATE HELVETICA
 ELVETIAE LIBERTATIS FORMAE ORDINIS
 PRO HELVETIA
 SUMMO ET VTIQUE IURE HONORIS
 ET COMITENDI
 HONORE ET VTIQUE IURE HONORIS
JOHANNES VITTINGHARTSEN
 GOTTFRIDUS DE WITTE
 DITTO MENSIS MARTII ANNO DOMINI
 MDCCLXXXII
 AT OTIUM REPOSUIMUS VTIQUE IURE HONORIS





CONSPECTVS PARAGRAPHORVM
SEQUENTIVM.

- § I *Indoles hominum diuersa est.*
- § II *Infirmitas animi et corporis explanatur.*
- § III *Quibusnam personis et rebus constituantur curatores?*
- § IV *Cur tutela, curaque ordinaria et extraordinaria necessaria introducta sit?*
- § V *Discrimen inter curatores minorum apud Romanos et Germanos.*
- § VI *Curatores necessarij atque voluntarij Germanis ignoti non fuerunt.*
- § VII *De curatoribus hominum perfectae aetatis.*
- § VIII *Cura hominum confirmatae aetatis necessaria varia est.*
- § IX *Cur inhabilibus feudorum possessoribus curatores constituti sint?*
- § X *Cura voluntaria describitur.*
- § XI *Quaedam communia inter curatores necessarios et voluntarios recensentur.*
- § XII *Discrimina inter eos exhibentur.*
- § XIII *Species quaedam in medium profertur.*
- § XIV *Oppositiones proponuntur.*

§ XV



§ XV *Primum dubium distinctione explicatur.*

§ XVIII *Nodus quartus dissoluitur.*

§ XVI *Secundum dubium declaratur.*

§ XVIII *Num monita iurando ab bevedibus administratoris elidij possint?*

§ XVII *Tertium dubium explanatur.*





§ I

INDOLES HOMINVM DIVERSA EST.




Qualitas hominum tum in statu naturali, tum
ciuili varia est. Ille respicit partim ad or-
tum natiuum, etiam sexum, partim ad
integritatem, modo animi, modo corpo-
ris, et ad aetatem. Aetas est vel minor,
vel maior; minor vero vel prima, vel se-
cunda; prima impubes, pupillaris, etiam
puerilis nuncupatur; minor prima: pueritia, et secunda:
adolescencia vocatur. Hanc sequitur iuuentus ab anno
vigesimo et sexto, et tandem senectus. a) Quod autem
ad

a) Vide Viri perillustres et
magnifici, et praeceptoris ae-
ternum venerandi IO. GE-
BASTORIS rechtsgelahrtheit
der Teutschen, ex editione il-
lustris IO. ANDR. HOFMAN-
NI, P. I, Cap. V-VIII, CHRIS-
TOPH. LVD. CRELL de iu-

re aetatis, Lips. 1724, 4to, §
VIII, GE. AD. STRUVIUS de
iuribus ac priuilegiis senectu-
tis, lenae 1737, 4to. Cuilibet
aetati diuersa iura, et obliga-
tiones adscribuntur in iure,
CRELL l. c. § VIII.

A



ad integritatem, (sanitatem) attinet, ea aut ad animum, aut ad corpus, aut ad utrumque respectum habet. Illi aduersi sunt et morbi, et vitia b). Quemadmodum vero actiones tribuuntur, tum toti corpori, tum corporis partim, modo animae; ita varia morborum, et vitiorum genera illis ob stare possunt. Alii enim morbi sunt totius corporis, alii partis corporis, alii animi, partim perpetui, partim temporarii, alii contagiosi, nec contagiosi, fontici c), veri, simulati d), non veri, et qui curari possunt, vel non e). Sunt etiam animi passiones, quae impediunt attentionem, et abripiunt hominem in seruitutem moralem, siue brutam animi impotentiam.

§ II

b) Morbus quidem a vitio differt, l. 1 § 7 π . de aedil. edicto, l. 101 § 2 π . de V. S., ibique GOEDDEVS et ANDR. ALCIATVS de verborum significatione ad l. 101, § 2, π . de V. S. lib. IV, p. 172, 173, Lugd. Batau. 1530, fol.; eamque ob causam balbus potius est vitiosus, quam morbosus, et caecitas, surditas et muti vitium habetur; sed quandoque ea verba promiscue accipiuntur, ut ex titulis Codicis, qui morbo se excusant libro V tit. LXVII, et lib. X tit. L, ex l. 40 pr. π . de excusat., l. 1 § 7 π . de aedil. edicto, aliisque pa-

ret, 10. HENR. *nobilis a BERGER* de privilegiis aegrotorum, Witeb. 1687, § VIII sqq. Quandoque cum aegritudine corporis simul aegritudo animi concurrere potest, l. 1 § 9, l. 4 § 1 π . de aedil. edicto, l. 6 π . de curat. furios.

c) l. 8. Cod. de testam. l. 1 § 7 π . de aedil. edicto l. 60 π . de re iudicata, l. 113 π . de verb. sign.

d) l. 6 π . de curat. furios. l. 13 § 1, l. 14 π . de offic. praesid., DE BERGER l. c. § 14-18 p. 12 sqq.

e) l. 15 § 2 π . de adopr.



§ II

INFIRMITAS ANIMI ET CORPORIS EXPLANATUR.

Homines vel sani, salui, et integri, vel infirmi, et imbecilli sunt (§ I). Debilitas est: modo animi, modo corporis. Imbecillitas mentis aut cum tumultu, ac clamoribus est coniuncta, aut impetu caret. Inde furiosi, dementes, siue mentecapti, aliique abalienati animi homines oriuntur. Infirmitas vero corporis, tum totius, tum partis cuiusdam non solum cum perpetua, ac pertinaci valetudine aduersa consociata esse; verum etiam perpetuam valetudinem euadere, et temporaria esse potest. Causa eius est: tum morbus, tum vitium, quod actiones corporis impedit, et defectionem virium efficit modo perpetuam, modo temporariam. Sed ea gracilitas, et infirmitas corporis aut simul animi vires in homine retardat, eique denegat, aut virtute animi superatur, atque firmitati consilii non obstat. Quod si vero quis legitimae aetatis consilio abundat, atque vim animi ostendere valet, quamuis eum vires corporis vitio, morbove deficiant, neque furiosus, nec demens existimari potest; ideoque ad res gerendas necessario curatore opus non habet, nec huic curator sine alia iusta causa constitui potest; nisi voluntate sua adsit, eumque roget. Verum enim vero eiusmodi rogatio voluntaria, et datio curatoris iuueni facta neque dementia arguit, neque facultatem adimit: rebus suis praeesse. At vero homines de rebus suis constituere nequeunt, siue ob aetatis defectum, siue ob sexus infirmitatem, itemque ob quoddam corporis, animiue vitium, debilitatem, atque imbecillitatem, aliaque impedimenta legitima, quibus tutores, aut curatores sunt constituendi.

A 2

§ III



§ III

 QVIBVS NAM PERSONIS ET REBVS CONSTITVAN-
 TVR CVRATORES?

Dantur autem curatores ad bona administranda f), et negotia gerenda, non solum minoribus g), verum etiam hominibus perfectae aetatis, qui siue de rebus suis constituere nequeunt, siue non debent, siue nolunt. Constat igitur inter omnes: curatores vel personarum, vel rerum, etiam alios esse, qui et personis et rebus simul constituuntur h), ac pleni, ab aliis mixti, dicuntur, et quidem modo ex necessitate, etiam inuitis, modo rogatu, et voluntate eorum. Vnde curatores necessarii, et voluntarii eorum, qui confirmatissimae aetatis sunt, oriuntur, qui multum tamen inter se differunt. Deinde cognitum,

f) l. 20 π . de ritu nupt., pr. et § II - V Instit. de curator.

g) l. 1 pr. et § 2, 3, π . de minoribus.

h) l. 7 π . de curator. furios.

Sunt igitur curatores, qui plenissimi vocantur l. 6 π . eod., quibus minus pleni opponuntur. Nam secundum regulam curatores minorum praecipue rebus dari dicitur; quod tamen eo non spectat, ut illorum potestas minorum personas nullo modo concernat; sed illud saltem ita intelligendum est, ut, cum curator minori, iure Romano, non uti pupillo, inuito daretur, eius

persona quodammodo liberior visa sit, eaque re, quando ei curator confirmatus est, sola personalia absque eius consensu expedire poterit; alias curatores a tutoribus in paucissimis distincti fuerunt l. 13 pr. π . de excusat.; quod hodie eo magis in Germania asserendum est, cum legibus imperii, et consuetudinibus administratio pubertate non finiatur, sed usque ad perfectam aetatem continuetur, ANDR. GAILL lib. II obseru. XCVI num. I seqq., GE. FRANZKII libri I resolut. XVII num. 25-32 p. 350-352 Gothae 1648, 4to.



gnitum, atque perspectum est: curam esse variam, et quidem partim ordinariam, partim extraordinariam; at vero de ordinaria, e. g. minorum cet., hoc loco mihi non est animus, plura in medium proferre; verum eam leuiter transire, et tantummodo perstringere volo; nec valde me iuuat, in explicanda cura extraordinaria necessaria, v. g. pupillorum, si tutor ad gerendum negotium reperitur inidoneus, maiorum vsu rectae rationis priuatorum, feminarum, mulierum, mortuorum cet. verba frustra consumere; nec longius excurrere licet in curam rerum, conturbationis, bonorum, ad litem, ventris, absentis, litis cet.; sed speciminis loco periculum tractandae curae voluntariae eorum facturus sum, qui adultae, et grandioris quidem aetatis, etiam sanae mentis sunt; attamen vitioso corpore vtuntur, v. c. pedibus non valent, aatribus, et oculis capti, altero alteroue membro corporis ita orbatu sunt, vt negotiis, et faciendis rebus non facile interesse, nec rei domesticae, et familiari praeesse possint, eamque ob causam curatorem, seu administratorem praeficiunt, qui illis praesto sit; attamen arbitri, et moderatores rerum suarum manent i). Sunt etiam aliae species, vbi hominibus integris tum animi, tum corporis viribus ob conditionem, et statum minus habilem, curatores constituantur, v. gr. in causis clientelaribus cet.

A 3

§ IV

1) l. 21 Cod. mandati, FVLV. FACIANVS in consil. LXIII num. 98 pag. 476, Vir perillustri FRID. ESAIAS de PVFENDORF in obseruat. iur. vniu. Part. III, obseru. XLIV pag. 152, 153. Post annum vigesimum et quintum prae-

terlapsum vigorem virilem compleri dicitur l. 1 § 2 n. de minoribus; accidere tamen potest: vt hominibus aetate prouectis tum intellectus, tum voluntas deficiat; eamque ob causam cura aetate perfecta non finitur.



§ IV

CUR TUTELA, CVRAQVE ORDINARIA ET EXTRAORDINARIA NECESSARIA INTRODVCTA SIT?

Quamquam tutela impuberum, curae ordinaria minorum ob lubricum aetatis, non sine aequitate naturali, in ciuitates inducta est k), itemque cura extraordinaria, quae iuuenibus, aliisque hominibus aetate prouectis modo naturali, modo morali accidit, quo impediuntur illi sibi, suisque rebus ob perpetuum morbum, aliamque iustam causam tum inter priuatos, cum inter illustres l), praeesse m); eaque tutela, et cura legibus constituta est, atque ad

k) l. 1. pr. de minor., l. 1. de curat. fur. Nam ipsa recta ratio iam exigit, vt illi, qui sibi, suisque rebus superesse nequeunt, alterius directioni sublint. Deinde reipublicae quoque interest, ne illi fraudibus, captionibusque malorum hominum sint suppositi, l. 1. pr. de minor.; sed illis, eorumque rebus prospiciatur.

l) vide BVRG. GOTTH. STRUVII iurispud. heroicam Part. V Cap. VIII pag. 618 seqq. pag. 626 seq. ibique viri illustres IO. AVG. HELLFELDIII commentationem lectu dignissimam de diuersis tutelae illustrium speciebus, variisque eam constituendi modis, et P. VII Cap. V pag. 454 seqq. Exempla sunt in promptu, v.

gr. Alberti Friderici, ducis Borussiae, *Du MONT* corps diplom. Tom. V P. II pag. 102, Friderici admorsii, Marchionis Misnensis, Friderici, ducis Saxoniae, teste MÜLLERO in annal. Sax. ad annum 1539; Hermanni Friderici, comitis Bentheimensis cet. Haec curationum genera in Germania summorum imperii tribunalium, forensi vsu teste, confirmantur; vid. CHRIST. BARTH in urtheln und bescheiden des K. und R. Kammergerichtes P. IV p. 302, a, P. V p. 134, c, p. 162, c, IO. FRID. GVIL. DE NEVMANN de patria potestate et tutela Principum, 1751, 4to, lib. II tit. 13 p. 363 seqq.

m) § 3 § 4 Instit. de curator.



ad salutem reipublicae respicit; eamque ob causam tutelae, et quaedam curationum genera inter munera publica iure relata sunt; attamen non omnis cura munus publicum est, neque semper inuitis obrudi potest, neque ea ad homines perfectae aetatis, ac sanae mentis adplicari possunt, quae de minoribus, ob fauorem eorum singularem, constituta sunt n); neque de persona ad personam, neque de specie ad aliam speciem, citra iuris concessionem, concludere licet. Cum igitur hominibus firmatae aetatis, secundum regulam, iura minorum non competunt; de illis quoque ea praedicari nequeunt, quae de his legibus sancita sunt o); iuris potius est, quod, quae diuersa sunt, diuersos etiam effectus producere debeant p). Nam dicuntur homines maioris aetatis, qui sine curatoris auxilio negotia sua moderantur; minores vero absque fraudis, et circumductionis periculo idem nequeunt. Et quamuis curatoris furiosi eadem fere iuribus constituta sit potestas, quae minorum, et impuberum est, pignusque legale furioso in bonis curatoris tribuatur pp); attamen hypotheca illa tacita non competit feminis perfectae aetatis in bonis curatorum, neque in bonis curatorum ad licem, neque


n) BENED. CARPZOV P. II decis. 135 num. 14, 15 p. 343, Lips. c1010c16 fol. MENKEN in tract. syn. proc. p. 755 seq.

o) CHRISTOPH. BESOLD P. IV cons. CXLIX num. 2 seq. p. 37, num. 14 seq. p. 38, MENKEN loco memor. tit. VIII § 4 p. 755 seqq.

p) arg. l. 7 Cod. de codicil-

lis, MATTHIAS BERLICH in decision. aureis, c1010c16, 4to, decis. CXXXIX, num. 4 seqq. p. 520 seqq.

pp) l. 56 § 4 τ. de furtis, l. fin. § 5, 6 Cod. de curat. fur. LAVTERBACH de tac. pign. th. 35, CARPZOV P. II constit. 24 def. 15, et P. II decis. 135, MENKEN in tract. syn. proc. pag. 648, p. 757.



que ad massam concursus creditorum, neque in bonis curatorum absentium, neque in bonis aliorum administratorum vel gestorum. Ius enim tacitae hypothecae non obtinet, nisi in casibus a legibus expressis. Deficiente igitur conuenientia, siue vt philosophi loqui amant, identitate rationis, cessare etiam debet legis sanctio.

§ V

DISCRIMEN INTER CVRATORES MINORVM APVD ROMANOS ET GERMANOS.

Cura minorum ordinaria secundum Romanorum leges, atque instituta primario loco rem familiarem eorum tuendam respexit, eamque ob causam dicebatur potestas administrandi eius, qui rebus suis praesse non poterat, publica auctoritate confirmata. At contra in Germania secundum leges imperii illa est potestas tuendi minorem, consentiendi in eius negotia, itemque administrandi bona, publica auctoritate concessa, et confirmata. Personae, quibus ea facultas publice demandata est, curatores dicuntur. Hoc patet ex verbis legis imperii, dictae: Reformation guter polizei zu Augsburg 1548 q), et quidem ex sequentibus: (der vormund nach befohlener verwaltung) auch mit gelübden, und eiden beladen werde: das er *seinen pflegkindern, und ibren gütern* getreulich, und erbarlich vorseyn, *ihre personen*, und güter versehen, und verahren

q) tit. XXXI § 1. 3. Idem continet: gemeine form tutorii, und curatorii, deren sich alle magistrats, und obrigkeit, denen solches von rechts- oder gewohnheitswegen ge-

bührt, gebrauchen mögen, recessui imperii Spirensi 1010 LXX adiecta, P. III p. 317, 318, collectionis recessuum imperii anno 1010 CCLVII fol. publici iuris factae.



wahren cet. Idem in sanctione imperii: Polizei-ordnung zu Frankfurt anno 1577 gebessert r) repetitum est; quin etiam cura, tutela finita, usque ad perfectam aetatem, legibus imperii et moribus Germaniae continuatur, nec puberes cura eximuntur s); nisi legibus specialibus aliud constitutum sit; hoc tamen non inficior: apud Germanos pubertatem a maiori aetate distinctam fuisse. Praeterea curatores parentibus equiparantur t), quorum consensus a minoribus ad sponsalia celebranda, aliaque negotia magni momenti adhibendus est; attamen non nego: usum, exercitationemque forensium summorum imperii tribunalium docere: curatores minoribus, rogatu alterius, non dari; sed illos per minores petendos, et puberum consensum in nominatum curatorem probandum esse u); quamvis etiam citationes ad petendum sibi dari curatores decernantur. Hoc autem procul dubio intelligendum erit de eis minoribus, qui tutelae obnoxiae non fuerunt, nec

r) tit. XXXII § 1-3.

s) CAR. GVIL. de GAERTNER in comm. cui titulus est: iure Germanico inter impuberes et minores, tutores et curatores non distingui, Lips. cl. 1700 cxxxii 4to § 10, die *Historische rechtsgelahrtheit der Teutschen* P. I p. 418, § 974. CARPZOV lib. V resp. 86, 10. FRID. GVIL. de NEVMANN de patria potestate et tutela principum, 1751, 4to, lib. II tit. I p. 209 seqq.

t) *De PVEENDORF* P. I obs. XI p. 17, P. II obs. XCIII p. 390, P. III obs. XLIII.

u) BARTH loco memorato Vol. IV p. 28, f, p. 150, e, p. 456, g, Vol. V, p. 87, h, p. 114, e. Ex his patet: electionem curatoris puberi tribui, *de PVEENDORF* obs. XLVIII p. 148 circa finem, *de NEVMANN* l. d. p. 210, p. 211 § 341.

B



nec cura fuit continuanda; sed de eis liberis, qui puberes existentes parentibus orbatii sunt.

§ VI

CVRATORES NECESSARII ATQVE VOLVNTARIII GERMANIS IGNOTI NON FVERVNT.

Moribus Germanorum adolescentibus post pubertatem plenam curatores petere licuit; quod si vero noluerunt, illis carere potuerunt v). Deinde natu grandes, si voluerunt, praesertim ad duellum, nec non claudi, eos habere quiuere w); sed haec cura senum, et claudorum hodie, cessantibus iudiciis duellieis, exoleuit.

§ VII

DE CVRATORIBVS HOMINVM PERFECTAE AETATIS.

Sunt autem curatores non solum minorum, verum etiam illi quandoque ex iustis caussis firmatae aetatis hominibus dantur (§. III). Hi siue imbecillitate mentis laborant, vt furiosi, mente capti cet., quibus curatores pleni (§ III), et necessario constituuntur; siue infirmitate, et vitio corporis distringuntur, quo minus rebus faciendis interesse queant, et quidem, aut ad negotia conficienda plane inhabiles sunt, aut non. In illis, quae ipsi gerere nequeunt, curatores conceduntur, et confirmantur;

v) Ius prouinc. Alam. cap. 63 § fin. ius prou. Sax. lib. I art. 42, art. 48, de NEVMANN loco memor. p. 368 § 581.

w) Ius prou. Sax. lib. I art.

42, art. 48, codex iur. Alam. tam prouinc. quam feud. cap. 172 p. 121, adcurante 10. AVG. nob. de BERGER, Lips. 1726, 4to.



tur; in eis vero, quae intelligunt, et consentire possunt, ad procuratores constituendos valent x), quin etiam curatores petere queunt. Quapropter surdus, et mutus in actibus, in quibus consensu, non sermone, audituue opus est; tamen animi virtute, atque intelligentia pollent, sine curatoribus contrahere, et procuratorem eo modo, quo possunt, videlicet nutu, scriptura, constituere possunt; et si etiam curatores eis dantur, ad administrandum conceduntur y). In contractibus igitur, et negotiis civilibus nemo maioris aetatis, et sanae mentis inuitus curam recipere tenetur z). Eodem modo coecus non recipit curatorem; potius mandare, atque ad recognitionem faciendam mandatarium recte constituere potest a); quin etiam mutus, surdus, coecus bonorum possessionem ad-

B 2

mitte-

x) l. 1 § 2 π. de procur. Ex hac lege patet: eum, qui rebus suis per procuratorem praeesse potest, curatore non indigere. Vid. disputationes WESENBECH in TABORIS operibus, Vol. II pag. 670, 671 qu. XI.

y) l. 43 pr. et § 1 π. de procur., l. 48 π. de obligat. et action., 10. VOET in comment. ad π. lib. XXVII tit. X § XIII. Procuratores igitur omnium bonorum noti sunt l. 63 π. de procur.; quin etiam adultae personae cum curatoribus procuratores constituere possunt, l. 11 Cod. de procur.; ergo

puberes procuratores habere queunt, l. 1 cod. si tutor vel curat. interu. et l. 17 cod. de procur., LÜDER MENKEN in syst. iur. civ. lib. XXVII tit. X § 4 p. 480. et in tractat. syn. proces. pag. 757 § 4:

z) CHRISTOPH. PHIL. RICHTER Part. II decis. XXIII num. 35 pag. 60.

a) L. 6 π. de iudiciis, MENKEN in system. iuris civil. lib. XXVII tit. X § 9, num 3, pag. 481. Tutor coecus factus auctor fieri l. 16 π. de auct. tutor., et coeptum magistratum retinere potest, l. 1 § 5 π. de postul.



mittere possunt, si, quod agatur, intelligant b), illisque scientibus tempus illius petendae currit. Claudus, et pedibus non valens sine curatore se defendere iubetur c).

§ VIII

CVRA HOMINVM CONFIRMATAE AETATIS NECES- SARIA VARIA EST.

Cura hominum legitimae aetatis tum necessaria, tum voluntaria est (§ III). Illa in actiuam, nec non quiescentem diuidi potest; quibus finita opponitur. Curatio enim illa vario modo cessare potest, v. c. siue morte, siue sublato morbo animi, vitioque, vel causa, ob quam curator datus est, remota, reuocatione cet. Actiua furioforum cet. tutionem, atque bonorum administrationem comprehendit d); quiescens vero dicitur: quando et tuitio, et administratio suspensa, et impedita est e), id est, vbi cura quidem in mediis furoris interuallis permanet, donec talis furiosus viuit; sed per interualla, quae perfectissima sunt, curator nihil agit; verum furiosus, dum sapit, omnia ea facit, quae sanis hominibus competunt. Sin autem furor stimulis suis iterum eum accenderit, cura redintegratur. Quod si vero alicui curator constitueretur,

b) l. 2 π . de bon. possess. furios. infanti cet. Coeco aduersus fatalis lapsum denegatur restitutio in integrum, MENKEN in syst. iur. ciu. lib. XXVII tit. 3 p. 567, quae minoribus conceditur, l. 12 l. 13 § vlt., l. 24 § 8, l. 28 π . de minoribus.

art. 48, Kaiser-recht P. II cap. 33, 35, 36, in corp. iur. Germ. publici ac priuati e bibliotheca SENKENBERG ex editione GVST. GE. KOENIGII de KOENIGSTHAL Part. I pag. 36 p. 38.

d) l. 7 π . de curator. furios.

e) l. 6 Cod. de curator. furios.

c) Ius prouinc. Sax. lib. I

retur, qui tempore dationis sanae mentis fuit, hoc iniuria factum esse censetur f). Datur etiam cura feudi varia, legalis, pactitia, necessaria, voluntaria. Existit omnino furiosorum agnatica in caussis clientelariibus g); absentibus quoque, nec petentibus, etiam ignorantibus hodie ex officio curatores constitui possunt h); nec interimistici tutores, et curatores ignoti sunt i).

§ IX

CVR INHABILIBVS FEVDORVM POSSESSORIBVS
CVRATORES CONSTITVTI SVNT?

Sunt quoque aliae species curationum, vbi hominibus integris tum animi, tum corporis viribus, ob qualitatem legitimam deficientem, et statum minus habilem, curatores constituuntur (§ III). His in caussis clientelariibus modo status clericalis, modo sexus muliebris anfas praebet. Vnde enascuntur curatores feudorum, et prouasalli, qui modo legibus, modo pactitionibus nituntur. Verum enim vero curator feudi significatione varia sumitur, et quidem siue pro curatore minoris vasalli, siue pro prouasallo, qui ad praestanda seruitia, atque officia pro inhabilibus feudorum possessoribus tenetur. Proprie quidem

B 3

f) MOD. PISTORIS con-
fil. XX num. 62 seqq. pag. 235
seq. vol. I.

g) HENR. a ROSENTHAL
syn. iur. feud. cap. XII conclus.
X. STRUVII iurispr. her. P.
VII cap. V pag. 462 seqq.,
SCHROEDER de curatore feu-
di, thes. V seqq.

h) GE. FRANZII lib. I reso-
lut. XVII num. 83 p. 366, 10.
OTTO TABOR vol. II operum
p. 670, X, Lips. 1688 fol.

i) ERN. IOANNES FRI-
DER. MANZEL de tutore inter-
rimistico, Rostoch. 1747, 4to,
memb. III, IV, I. CHR. GYM-
BRECHT de tutore interimis-
tico, Altd. 1682, 4to.



dem prouafallus a curatore feudi differt; cum hic a vafallo incapace; curator vero feudi a domino datur; fed antiquioribus temporibus prouafalli, feu vicarii vafalli, etiam curatores feudorum: vormunden, und lehnräger cet. faepenumero a dominis dati, atque non fine cauffa dicto nomine infigniti k); quin etiam tutores feudis pupillorum inueftiti fuere. Quod autem ad clericos attinet; cognitum est: eos non magis aptos clientelis habitos fuiſſe, quam feminas l), et vniuerſitates, collegia cet.; quod ſi vero domini directi gratiam iuris fecerunt, eaſque perſonas ad feuda admiferunt, curatores clientelarum conſtituendi fuerunt. Exemplum memoratu dignum exhibet AD. FRID. GLAFEY m) de anno clcccclx, quo Carolus IV Imperator precibus Rudolphi de Loewenſtein, canonici Herbipolenſis, ita indulſit: vt fratri Alberto, comiti Loewenſteinenſi, ſine heredibus maſculis defuncturo, in comita-

k) 10. AD. KOPP in den lehnpoben P. I, pag. 144, nota (b) ſeqq., 10. SCHILTER in cod. iuris feud. Alem. ad cap. 50 p. 237, CHRIST, ERN. HANSELMANNI diplomatiſcher beweis von der Hohenhöhiſchen landes- hoheit cet. 1751 fol. p. 156 ſeqq., § 124, FRANC. CAR. CONRADI de prouafallis ex iure feud. Germ. P. 14 § 8, p. 40 § 19, CHRIST. BESOLD P. II conſil. 39, 10. CHRIST. SCHROETER de curatore feudi lenae clbcccvii, 4to, thes. VIII ſeqq. p. 10 ſeqq., 10. MART. LINKE de

vafallo vicario, Altd. 1681 § 5 ſeqq. § 14, ANDR. MYLIVS de prouafallo, Lipſ. 1688, 4to.

l) De NEVMANN loco memor. p. 369 ſeq. § 583 ſeq., p. 380 ſeqq., SCHROETER thes. XI ſeq. p. 12 ſeq., CASE. KLOCK Vol. II conſil. 2, STRUVII iuriſpr. her. P. III, cap. III ſect. I § 45 p. 248, 249, vbi exempla dotalitiſorum in medium proferuntur, quibus quidem vxores illuſtres a dominis directis inueſtitae; curatores vero eis ſimul conſtituti fuerunt.

m) anecd. pag. 277 num. 182.



mitatum Loewensteinensem succedere possit, datis curato-
ribus Alberto episcopo Herbipolensi, eiusque successo-
ribus. Verba sic se habent: - - - und wann er (Rudolf)
ein geistlich mann, und geweihet ist, und solcher lehen
nicht behalten mag; so geben wir ihm einen lehnräger:
den erwidigen Albrecht bischof zu Wirzburg und seine
nachkommen, bischoffe zu Wirzburg, die in czeiten
werden. das sie ym die egenannte lehen sein lebetage als
vormunde getreuwlichen tragen sollen cet. Eodem mo-
do Fridericus V, Maximilianus I, Imperatores, precibus
Adolphi, praepositi Magdeburgensis, et Magni, fratrum,
principum Anhaltinorum, non reluctati fuere, eisque,
non obstante ordine clericorum, successionem in princi-
patum Anhaltinum reseruarunt n); ea tamen conditione:
das sie die lehne durch person, den lehen gemäß, ver-
mannen, und zu lehen empfahen solten - - - . Hoc
privilegium a Carolo V Imperatore quoque ad Georgium
principem Anhaltinum extensum fuit o).

§ X

CVRA VOLVNTARIA DESCRIBITVR.

Curatores hominum maioris aetatis sunt tum necessa-
rii, tum voluntarii (§ III, § VIII). Cura voluntaria de-
pendet ab hominibus iuuenibus, eorumque voluntate (§
II), eaque comprehenditur potestas ei, quem persona
perfectae aetatis elegit, petiitue, concessa, ad certa ne-
gotia administranda a magistratu competente confirmata.

§ XI

n) BECMANN hist. Anhalt.
P. IV cap. III p. 523.

o) IDEM p. 524, LÜNIG in

corp. iur. feud. T. I p. 845.
STRUUVIUS in iurispr. her. P.
VI p. 501 - 504.



§ XI

QVAEDAM COMMVNIA INTER CVRATORES NECES-
SARIOS ET VOLVNTARIOS RECENSENTVR.

Equidem adsunt quaedam communia inter curatores necessarios, et voluntarios; praecipue, quando eis administratio bonorum demandata est. Etenim vterque in eo casu inuentarium conficere, curam fideliter gerere debet; quin etiam cautio ab eis exigi potest p); praeterea rationes sunt reddendae, factaque curatorum defunctorum ab eorum heredibus sunt praestanda, et reliqua.

§ XII

DISCRIMINA INTER EOS EXHIBENTVR.

Nihilominus magna differentia curatores necessarios a voluntariis separat (§ II, VII). Curatio enim necessaria ex legibus, itemque pactionibus depromitur; quae certos homines illi subesse cogunt (§ IX); voluntaria vero a libera voluntate iuuenis sanae mentis dependet, (§ II). Prior munus publicum inuoluit; nequaquam posterior. Illa plerumque tacitam hypothecam iure Romano committit, aliaque iura singularia coniuncta habet; minime vero voluntaria (§ IV); illaque non aequae, atque haec reuocari potest q). Quibus adhuc accedit, quod illi iuuenes, infirmitate corporis, membriue defectu laborantes in rationibus auctoris et partitionibus versari, rationes a suis curatoribus accipere, easque cum his putare possint; nec

p) 10. SCHILTER exerc. XV § 71 seq., 10. NIC. HERT in decis. 264 pag. 238, 10. BRVNNEMANNI decis. III

cent. II p. 71, p. 72, MEVIUS P. II decis. 61.

q) FRANZKIVS lib. I resol. XVII num. 58 p. 359, SCHIL-
TER exerc. XXXVII § 221 § 241.



nec opus est, vt, praesente iudice, illae referantur r); nec non et pacisci, contrahere, transigere, alienare, testamenta conscribere, testimonia ferre, iura sua obseruare, damna rebus suis imminetia auertere, et procuratores constituere queunt (§ VII); quin etiam curatores eis dati non aliter, atque administratores et procuratores habendi, quorum potestati infirmi corpore non obnoxii sunt; nihilque refert: quamuis eiusmodi curatores, iureiurando obstricti, atque a iudice competente confirmati fuerint. Nam curatio ex iureiurando solo omnes numeros non habet; cum et ab administratoribus, procuratoribus, ministris, famulisque sacramentum exigi possit; quo facto curatio non enascitur; potius ad hanc adhuc alia requiruntur, quae eam constituere debent.

§ XIII

SPECIES QVAEDAM IN MEDIVM PROFERTVR.

Hisc praemissis, formam, figuramque quamdam exprimere liceat, quae huic proposito ansam praebuit. Iuuenis quidam tricesimum et sextum annum iam agens. Titius dictus, pedibus, et membris gradiendi non valuit; sed ille defectus corporis vires animi ei non denegauit; bene vero eum impediuit: rebus faciendis vbique interesse, ideoque Meuium procuratorem ad causas suas agendas elegit, atque iudicem rogauit: vt illum confirmaret. Iudex precibus facilem se praebuit, et Meuium non solum iureiurando eo obstrinxit: Alles das zu thun, und zu lassen, was einem getreuen verwalter zustehe cet.;

C

verum

r) L. 1 § 3. de tut. et rat. MERI consult. T. II P. I cons. distrah., IVST. HENNING. BOEH. 4 numero 7; 8 pag. 7.



verum etiam illum nomine administratoris insigniuit. Titius ex aere alieno graui, vetere, et nouo laborauit, quod dissoluendum erat. Inuentarium confectum est. Meuius bona in illo consignata a Titio, confirmatione iudicis accedente, emit. Aes alienum quidem illo emtionis pretio diminutum; attamen non penitus dissolurum est; cum debita pretium emtionis superarunt. Meuius igitur repraesentationibus rem expediuit, et nomine Titii explicuit. Hoc facto, Titius a Meuius rationes accepit, easque cum hoc putauit. Calculis subductis, acceptis atque expensis computatis, reliqua remanserunt. Titius rationes redditas subscripsit, subsignauit, pecuniam a Meuius suppeditatam liquidam agnouit, praediaque Meuius pro ea summa obligauit, nec non postulatis Titii libentissime eo annuit, vt hypotheca a iudice confirmetur. Verum enim vero euenit: vt Titius paullo post rationes illas relatas irritas atque infirmas eam ob causam habuerit, quia ad illas auctoritas iudicis non accesserit, eaque neglecta, calculi frustra subducti fuerint; quin etiam Titius procuracionem negotiorum reuocauit, atque litem Titio intendit. Meuius vero exceptione usus est: Titio nullam huius rei actionem esse, cumque eo tempore, quo emtio facta, ac rationes ab eo acceptae fuerint, annos XXXVI iam tum compleuisset, ideoque cum eo valide contrahi potuisset, ac fidem rerum contractarum a Titio seruandam esse. At vero Titius mortuus, et lis cum eius heredibus continuata fuit.

§ XIV

OPPOSITIONES PROPONVNTVR.

Circa hoc argumentum opiniones doctorum variae sunt, atque incertum hoc diuersitas tradentium facit.

Sunt

Sunt enim qui putant: I) omnes illos, qui curationi subessent, minoribus aequiparari s), eaque re eis personis esse adnumerandos, quae rebus suis praeesse non possent t); II) tutorem, curatorem, et qui negotia aliena gererent, res pupilli cet. emere non posse u), nec illas III) absque decreto magistratus distraendas esse; IV) rationes a curatoribus coram magistratu iuste, et legitime esse referendas v), nec apocham pupilli ad liberationem proficere w), et quae sunt reliqua.

§ XV

PRIMUM DVBIUM DISTINCTIONE EXPLICATUR.

Verum enim vero cum magna differentia est inter curationem necessariam, seu legalem, et voluntariam eorum, qui perfectae aetatis, frugi, sanae rationis, atque intelligentiae participes sunt; attamen vitio corporis, morbo, aliaue causa impediuntur, quo minus rebus faciendis interesse possint. Ad hos legalis curatio non extenditur; bene vero illa finitur, quando adolescentium excefferunt aetatem; quo facto, publice non interest, et perinde valet: num rebus suis praeesse, vel nolint, vel nequeant x), an eis alios praeficere, siue eas aliorum

C 2

fidei

s) argum. l. 3 Cod. de integr. restitut. ; ANDR. GAILL lib. II obseru. XCVI num. 7.

t) l. 12 pr. π . de tut. et curat. dat., § 2 et § 4 instit. de curat.

u) l. 34 § 7 et l. 46 π . de contrah. emt.

v) arg. l. 1 pr. de tut. et rat. distrah.

w) MEVIUS P. VIII decis. XX et XXI, BOEHMER T. II P. I consil. DCXI num. 7 pag. 898.

x) l. 1 § 2 π . de procurat. l. 21 cod. mandat, l. 3 cod. de his



fidei committere, siue procuratores, administratores cet. constituere velint. Hoc concessio, consequens id certe dare debent illi, qui negantia contraria aientibus opponunt. Vbi enim leges distinguunt, nos etiam distinguere debemus, eaque re argumentum ab vno aequiparato ad aliud tunc non valet, neque de persona ad personam y). Nam curatoribus ab hominibus firmatae aetatis sua sponte electis, personae non sunt tuendae, neque gubernandae, neque bona eorum libere administranda; sed eiusmodi curatores naturae procuratorum accedunt z), qui dominorum mandata exsequuntur, nec non ad rationes reddendas tenentur a); quin etiam mandata reuocari possunt b), nec restituito in integrum illis eo modo conceditur, quo minoribus ob fragile, atque infirmum aetatis consilium indulgetur c).

§ XVI

his, qui veniam aetat. l. 9 § 4
 x. de acquir. rer. dom., CONR.
 RITTERSHVSIVS in consil.
 Altdorf. resp. LXXVIII pag.
 509 seq.

y) CHRISTOPH. BESOLD
 P. IV consil. 149 num. 13 seq.
 pag. 38, MATH. BERLICH in
 aureis decis. CXXXIX num. 4,
 5, pag. 520, FRID. PRUCK-
 MANN in differ. vtriusque se-
 xus P. II artic. XV num. 25.

z) l. 22 § 1 x. de rebus au-
 ctor. iud. possid., l. 2 pr. § 3
 l. 5 x. de curat. bonis dand.,
 MVNNOZ de ESCOBAR de ra-
 tiocin. administ. cap. XXVIII
 num. 30 pag. 430. Absens

curatorem constituere potest,
 cui administratio bonorum de-
 mandatur, NIC. CHRISTOPH.
 L. B. de LYNKER in resp. V,
 num. 12, 21, 36, p. 44 seq.,
 CARPZOV in proc. iur. tit. V
 art. 1 num. 1, 2, et art. 3
 num. 1.

a) l. 46 § 4 de procurat.,
 BOEHMER in iure ecclesiastico
 protest. lib. I tit. XXXVIII §
 41 pag. 924.

b) l. 17 pr. x. de procurat.,
 BOEHMER loco memor. § 40
 et § 52 pag. 924 et pag. 931.

c) l. 1 pr. § 2, 3 x. de mi-
 nor. XXV annis, l. 1 l. 3 cod.
 de in integr. restituit.



§ XVI

SECUNDVM DVBIVM DECLARATVR.

Tutores quidem res pupillorum emere, et vendere prohibentur, itemque curatores bona minorum, nec non, qui aliena negotia gerunt (§ XIV, 2); illud autem eo pacto intelligendum est, quando illud fit clam, malaque fide. Quod si vero eiusmodi emtio palam, bonaque fide fit, reliquis tutoribus, si qui sunt, consciis, auctoritatemque suam interponentibus d), etiam solemnitate legali accedente, cum auctoritas iudicis consensum supplet, tunc emtio valida haberi potest e). Nam in hoc casu fraudis et laesionis suspicio abest. Hisce adhuc accedit, quod tutor, et curator sibi ex pecunia, rebusue aliis pupilli, quae seruando seruari nequeunt, soluere possit f).

§ XVII

TERTIVM DVBIVM EXPLANATVR.

Cognitum quidem ac perspectum est: res minorum: et qui eorum iure gaudent, immobiles, et quae his aequiparantur, nec non res mobiles, quae citra periculum, et ne-

d) l. 5 § 2 et 4 π. de auctor. tut. l. 54 π. de administr. tut. Tutor honorarius emere potest res pupilli, l. 6 π. de auctor. tut.

e) l. 5 cod. de contrah. emt. ibique 10. BRUNNEMANN in comment. ad cod. pag. 477, 1699 fol. 10. VOET in comment. ad π. lib. XVIII, tit. I § 9, et lib. XXVI tit. VIII § XI, VLR. THOM. LAVTER-

BACH in colleg. theor. pract. π. lib. XVIII tit. I § 12, CARPZOV lib. V respons. LXVIII num. II seqq., WOLFG. AD. LAVTERBACH de alienat. rerum, quae minorum sunt § XVII.

f) l. 3 § 3, 5, 6 π. de contr. tut. et vili act., l. 9 § 1, 5, 7 π. de admin. et peric. tut. l. 8 § 1, l. 11 π. de rebus eorum, qui sub tut.

D



et necessitatem conferuari possunt, absque forma, et solemnitatibus iure praescriptis alienari non debere g); sunt tamen species alienationum ad eos spectantium, in quibus illae solemnitates abesse possunt h). Sin autem omnes alienationes rerum, quae ad minores pertinent, solemniter fieri non debent; ideoque alienatio tum solemniter, tum minus solemniter oritur, nec non necessaria, et voluntaria est; quin etiam, si verum est: alienationem durante aetate tenere absque solemnitatibus factam vires accipere, quando domini eam perfectis annis completis modo ratam habent i), modo per legitimum tempus de eadem filuerunt k); sequitur: eis, qui legitimis annis maiores iam facti sunt, et rebus suis praeesse possunt, ad alienandas res suas, illis solemnitatibus opus non esse, quibus minorum indemnitati prospicitur l); potius ex constituto suo venditiones validas celebrare possunt, et leges eos quodammodo in pretio circumuenire permittunt m). Nam aetate maiores iura cum obligatione coniuncta habent; eamque ob causam mandata, et sua, et mea gratia, ad vendendum, negotia administranda, fideiubendum cet. dare possunt n); contra homines inferioris aetatis fauorabilioribus

g) WOLFG. AD. LAVTERBACH de alienatione rerum, quae minorum sunt § XXVIII seqq. § XLl seq.

h) IDEM § XLIII seqq. Quod creditor agit, pro eo habetur, ac si debitor per procuratorem egisset, IDEM § XVI.

i) l. 6, l. 8 seq. cod. arbitr. tut. LAVTERBACH §. 46.

k) l. 2, l. 3 cod. si maior

factus alien. factam cet., RICHTER P. I decisi. XIII num. II.

l) l. 22 cod. de admin. tut., argum. l. 5 § 10 π. de reb. eorum, qui sub tutela.

m) LAVTERBACH in coll. theor. pract. π. lib. XVIII tit. I § LVIII seq.

n) l. 2, l. 5 § 3 l. 6 § 1, 2 § 6, 7, l. 8 § 3 π. l. 21 cod. mandati.

ribus iuribus gaudent o). Inde perspicitur potest: contractus Titii cum Mevio initos eo firmiores fuisse, quo magis certum est, auctoritatem magistratus ad eos accessisse.

§ XVIII

NODVS QVARTVS DISSOLVITVR.

Iuvenes, et natu grandes, frugi, sanae rationis atque intelligentiae participes, rationes a curatoribus, ac procuratoribus accipere, easque cum his putare possunt; nec opus est: ut illae, praesente iudice, referantur (§ XII, § XV). Discernenda sunt loca, ubi rationes conferri possunt, et ubi dominus cum administratore suo de rationibus edendis agere potest p). Sin autem rationes semel redditae sunt, praesumptionem magnam pro se habent: eas rite subductas, ac relatas fuisse, usque dum contrarium probatur q). Calculi etiam positi transactione, atque iurejurando confirmari possunt r). Contrario rationibus subscriptis exceptiones variae opponi possunt, v. gr. erroris calculi, doli mali, non rite, sed generatim confectarum computationum, expensi non probati s), et reliqua. Distinguendum tamen est: utrum administrator adhuc superstes sit, an mortuus? Nam rationes viui administratoris subscriptae intra XX annos, praeter errorem

D 2

calcu-

o) CRELL § XIII, XV, XXIII.


p) CARPZOVIVS lib. II resp. XXXIII, FRANZKII resolut. lib. II quaest. XXVI, HERMANN. VULTEIVS ad l. I cod. ubi de ration. agi oportet.

q) BOEHMER Tom. II P. I cons. 611, num. 4, P. II cons. 1113 num. 25, p. 532, T. III P. II, cons. 80, num. 4, WOLFG.

AD. SCHOEFFE in cons. XX num. 39, vol. VIII, consil. Tub.

r) l. vn. cod. de errore calc. l. 2 cod. de apoch. public, P. I quaest. XX num. 20, et 29 p. 277, p. 279.

s) l. 82 π . de condit. et demonstr. MEVIVS P. VIII decis. XVII, decis. XXI, et XXVIII.



calculi, retractari possunt. Illo vero defuncto, retractatio intra decennium fieri potest; at vero propter errorem calculi retractantur rationes intra XXX annos t); quin etiam publicus administrator ex retractatis rationibus ad vsuras detentae pecuniae obstringitur; minime vero administrator priuatus. Conditio indebiti aduersus eos competit.

§ XVIII

NVM MONITA IUREIURANDO AB HEREDIBVS ADMINISTRATORIS ELIDI POSSINT?

Sed in quaestione est: vtrum heredes administratoris monita contra rationes confectas exhibita iureiurando elidere queant; an vero Titius ad iusiurandum in litem admittendus sit? Verum enim vero cum perspectum sit: iusiurandum in litem cessare, vbi dolus malus probari nequit, neque curator superstes, neque viuus litem contestatus est u); deinde, si iudex aliis argumentis liquidis veritatem inuestigare potest v); quin etiam, si actor fide sublesta, ac de periurio suspectus est w); tunc iuriurando in litem locus non datur; bene vero heredes ad iusiurandum credulitatis admitti possunt x).

Haec sunt, quae pro ingenii modulo commentatus sum, atque idoneis iudicibus verecunde, ac suspensa manu trado.

t) l. 8 § 1 π. de admin. rer. ad ciuit. pert., l. 13 § 1 π. de diu. temp. praeser.

u) l. pen. cod. de in litem iur., l. f. π. de fideiuss. MOD. PISTORIS cons, VIII p. 91, vol. II, BOEHMER T. II P. II

cons. 1241, num. 13, MEVIUS P. IIII decis. 92, num. 4.

v) l. 5 § 3 π., l. 2 in fine cod. de in litem iur.

w) l. 4 § 1 π. de in litem iur.

x) GAILL lib. II obs. 43, num. 6.



ULB Halle
003 719 332

3



f
86.







DISSERTATIO SOLLEMNIS IVRIDICA ^{1765, 1.} **23**
DE

ADMINISTRATORIBVS
A IUVENIBVS SANAE QUIDEM
MENTIS SED VITIO CORPORIS
LABORANTIBVS ELECTIS ATQVE A IVDICE
CONFIRMATIS IVRE CVRATORVM MINORVM
NON AESTIMANDIS

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPE
AC DOMINO

DOMINO FRIDERICO II
HASSIAE LANDGRAVIO REGNANTE, PRINCIPE

HERSFELDIAE COMITE CATTIMELIBOCI DECIAE ZIEGENHAINAE
NIDDAE SCHAUMBVRGI ET HANOVIAE RELIQA
IN VNIVERSITATE LITTERARIA MARBVRGENSI


AUCTORITATE ET CONSENSV
ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS
PRO LICENTIA

SVMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
RITE CONSEQVENDI

PVBICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
IOANNES LVTRINGHAVSEN

CASSELLANVS-HASSVS

DIE 9 MENSIS MAII MDCCCLXV.



MARBVRGI

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA VNIVERS. ACAD. MÜLLERIANA.

